Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2645
Quelle:
Copyright:

ministratoris — — descripti ac diligenter collecti. Cum autem in *Balbini Miscell. Dec.* I. L. 6. P. 2. c. 7. ab anno 1454 — 81. tres compareant Administratores Prag. Archiepiscopatus ὁμωνυμοι *Wenceslaus de Crumlow*, *Wenceslaus de Krzizanow* et *Wenceslaus de Plana*; dubius haereo, ad quem horum pertineant, nisi, quod *Balbinus l. cit.* promittat, ostensurum se in libro *de Viris doctis Bohemiae*, primum fuisse Virum doctissimum, quam tamen fidem, ut ex *Opere* posthumo liquet, non liberavit. Sermones porro ipsi nihil ab aliis hujus aevi abludunt. *Fol.* 68. p. 2. *Sermo in Cena domini* incipit: *Iste dies hodiernus secundum diversa ydyomata habet diversa nomina, secundum bohemicum ydyoma dicitur magna quinta feria, secundum latinos dicitur Cena domini, secundum theutunicos dicitur viridis quinta feria* &c. *Fol.* 120. p. 2. in Serm. *de Corpore Christi* versus finem mentem suam de Communione aperit autor dicendo: *Layci uero sumunt nisi cum corpore et in corpore christi sanguinem eius. Propter hoc enim non datur eis sacramentum de calice, ne dum multitudo communicat, de facili aliquid de christi sanguine effundatur. Foll.* 128. et 202. p. 2. habentur Sermones in Festis Patronorum *Bohemiae Viti* et *Wenceslai. Fol.* 250. occurrit haec subscriptio nigrorubra: *Expliciunt dicta per magistrum protzywam ficta. Finita per manus Andree dicti Charantza de Jempnitz.* Quae quo modo cum inscriptione *thecae* superius adlata concilianda sit, ignoro. Nisi quis dicat partem Sermonum ad *Wenceslaum*, partem vero ad *Protzywam* pertinere, quem Parochum *Pragensem* ad S. Clementem testimonium contra *Hussum* in *Conc. Constant.* 5. Jun. 1415. tulisse invenio. Inter lineas porro Subscriptionis insertum est nomen possessoris hujus Codicis: *Rossa Watzlaw Chrudimsky* cum nota annorum 1516 et 1532; cujus Sacerdotis *Stationes* in cura animarum ab anno 1516. usque ad annum 1560. *fol.* 252. p. 2. adnotatae sunt, ubi se *Wenceslaum Rosn. Presoroviensem de Holayssow* adpellat, additque ad an. 1560. *Et infelix hoc in anno fui, quia furtim mihi surripuerunt tempore veris in parochia* (Vnhost) *ad mille Sexagenas.* Ceterum post *Sermones* descripta sunt in *Codice* a *fol* 256. complura *Evangelia* in Ecclesiis per annum legi solita.

DCXCIII.

Codex chartaceus lat. germ. 170
Sec. XV. Folior. 236. f. maximam partem per duas columnas currente calamo scriptus continet I. *Sermones* XXXIII. in diversa Evangelia Dominicis legi solita, quorum primus *Dominica in Albis* incipit: *Cum esset sero die illa vna sabbatorum. Sic scribitur Job. XX. et legitur per Ecclesiam in ewangelio hodierno. Quia dominica proxima que est caput omnium dominicarum* &c. Ultimus in *Epist. Pauli ad. Rom* sic: *Hora est iam nos de*

sompno